

833.463

1/2

Hung. h.
1774.

15.

Q. D. B. V.
DE

MERITIS
MATTHIAE CORVINI
VNGARIAE REGIS
IN REM LITERARIAM
EX MSTO NALDI NALDII
FLORENTINI

POTISSIMUM DESCRIPTIS
DVCTV

PETRI IAENICHII,
GYMN. THOR. RECT. ET P. P.

ANNO MDCCXVII, d. XXI. IAN.

IN ACROATERIO MAIORE,

DISSERET

CASPARVS MOLLERVS,
CAESAREOF. VNGARVS.

*Muller's Re
esse Duffel*



THORVNI,

Impressit Ioan. Nicolai NOB. SENAT. ET GYMN. Typographus.



833.463



2013





1516
quero sech

I. N. I.

§. I.

MAtthias Hunniades, Corvinus, [a] Rex Vngariae, animo, virtute ac rerum gestarum gloria insignis, planeque ad regalem dignitatem, ad quam communi Procerum suffragio ac miro fortunae successu euectus est, (b) secundis facti auspiciis natus. Non magis de patria bene meritus est, quod nutantem gentis suae gloriam admirabili exemplo saepius defendit & amplificatis regni finibus cives opibus legibusque confirmavit, (c) quam quod eorum animos, depulso superioris seculi malo, a feritate ad modestiam inflecteret maioremque cultum humanitatis. Non expers doctrinae melioris & Sapientiae, quae Reges decet. Propterea enim quod literis delectabatur mirifice, earum quoque cultores regia munificentia est complexus. Vt itaque velut alter Hercules Musagetæ in Vngaria existeret, cui belli aequae munia curae fuerunt ac pacis ornamenta. Vnde nomen ipsi apud hostes pariter ac Cives omnino gloriosum.

A

§. II

- (a) Pater ipsius Ioannes Hunniades Corvinus fuit, magnae apud suos autoritatis & gratiae, per omnes militiae ordines ad optimi Ducis gradum fausto gloriae successu eluctatus, idemque ob tanta in Pannoniae regnum merita & praeclaram virtutis laudem Gubernator

bernator constitutus, Ladislao Posthumo nondum regni compote per aetatis rationem facto. Quam provinciam non faciliore fortuna suscepit, quam maiori prudentiae & iustitiae laude administravit. Diserte hoc ipsum persequitur diligentissimus scriptor ac limati iudicii Vir ANTON. BONFINIUS *Rer. Ungar. L. VII. Decad. 3. ad ann. 1445.* Idem ille accurate, unde genus suum ducat Ioannes, atque unde nomen Hunniadis & Corvini, describit *Lib. III. Decad. 3.* quippe a Sigismundo Imperatore, quem in Italiam erat secutus, ob rem bene gestam praediis Hunniadicis, quae in extrema Transylvaniae ora, quae ad Valachiam attinet, sita sunt, donatum esse, testatur, unde nomen ipsi Hunniadis. Sed quare Corvinus sit dictus, diversam plane a Bonfinio rationem allegat Auctor ANONYMUS *Historiae Europae & Sinae cap. 37.* cuius auctoritatem sequuti HOFFMANNUS in *Lexico*, PELUGIUS in *Epistola ad illustrem Seckendorffium de Bibliotheca Budensi*. SCHUZIUS in *Apparatu Erudit.* ZIEGL. in *Theatro temporis* aliique. A Corvo enim venire hoc nomen Matthiae, narrat, qui matri eius annulum Symboli loco donatum eripuerit sagittisque impetitus & confossus iterum dimiserit, qua veluti nota quadam natalitia a patre filius esset agnitus. In memoriam rei huius ipsum Matthiam corvum rostro annulum tenentem insignibus inseruisse putat idem ille, quem iam modo commemoravimus, Auctor, ac perpetuo Corvini nomine esse appellatum. Verum concedimus ipsi, aureos extare numos, quinimo etiam, uti non nemo, me quidem dubitante, affirmare voluit, argenteos unciales, in quibus insigne eiusmodi reperitur. Neque alio usum esse Matthiam, ornata hisce signis volumina, quae in ipsius Bibliotheca fuerant, etiam edocent: non tamen idoneis argumentis illa causa adhibiti nominis & insignium comprobatur. Neque quicquam ad rei fidem superstitione popularis facit, quam ita invaluisse dicit, ut difficili partu laborantibus feminis in Ungaria aliisque regionibus, applicentur hi Corvini numi per erura, quo ipso multum auxilii parturientibus accedere credi. Nam & alias res in superstitionem vertit vel infania hominum,

vel

vel inepta inscitia, uti de uncialibus numis, in quibus cataphractus
 eques Draconem subiugatum pedibus conculcans conspicitur,
 itemque de aliis satis constat. Forte superstitio illa originem
 ducit ex gentibus, vero lumine veritatis carentibus, quorum
 non pauca inter imperitam plebem vestigia deprehendere licet,
 vid. MANLINGIOS. ARND. de superstitioe & von den Alberthaeten
 der Welt. Namque erat corvus apud Graecos, Romanos &
 Aegyptios Soli consecratus. Vnde ab Aeliano, V. H. Lib. I. 18. § 47.
 Apollini Sacra avis & ἀπόλλωνος vocatur. Apud EUSTATHIUM
 Scholiasten Homeri Cygnum Apollini ὡς ἡλίου propter λευκό-
 τητα tanquam Soli propter albedinem, dicari, scimus, corvum
 vero διὰ τὴν νοκτερινὴν μελανίαν ἦς (ita legit eruditiss. Cu-
 perus in Harpocrate pro εἰς) διὰ καὶ μητρὸς ἀπογεννᾶται
 propter nocturnam nigredinem, ex qua veluti ex matre nascitur.
 Conf. PLUTARCH. L. de Iside & AELIAN. L. VII. IX. Ne quid
 dicamus de ipso Corvo, qui non libidinosus, foecundus tamen
 ab Aristotele dicitur *Histor. Animal. L. III. 6.* inde etiam au-
 gurium praebere solebat felicitatis. Hieroglyphica autem
 figura cornicum coniunctarum, rationem habet coniunctionis
 amicae ac casti appetitus. RUPERTUS ad *Flor. L. I.* ubi Sacra ales
 à Floro vocatur, quam lectionem non immutandam in *Satyram*
alitem, auctoritate Ruperti ac codicis Regio-Electoralis Branden-
 burg. fide nixus putat solertissimus doctae antiquitatis vindex
 L. BEGERUS in elegantia editione, quae Berolini in folio prodiit.
 Sol autem semper pro parente omnis foecunditatis & ubertatis
 habitus est. inde liquet, quare in gemma apud GORLAEUM III A-
 pollo nudus appareat tripodi sinistro cubito incumbens, dextra-
 que manu ramum protendat ad corvum adstantem. Eadem sine
 dubio ratio est, quare in aliis gemmis apud Gorlaeum modo cornu-
 copiiis, insidentes corvi, & inter ipsos papaverum capita & spicae,
 modo tripodi incumbentes, cuius a pedibus binae spicae surgunt,
 conspiciantur. Quae omnia uti antiquitatis opinionem de foecunditatis
 origine demonstrant, ita hac vanitate ii, qui ob melio-
 rem doctrinam non debebant, delicti in possessionem superstitio-

nis de corvo propagatae cum aliis ineptis hominibus transferunt. Nescio sane an incertis coniecturis credere magis velimus, quam homini perdocto, qui Matthiae aequalis, ac praeterea multum familiariterque cum Rege versatus, a quo sine dubio gentis ipsius & insignium, si quisquam alius, hic certe potuit omnium optime originem nosse. Idem quoque Bonfinius praeter Ranzanum & alios non Matthiam primum, veluti nota natalitia, sed iam patrem docet Corvini nomine ab omnibus semper fuisse appellatum. Praeterea huius cum Corviniana Gente, quae Romae olim floruit coniunctionem plane ac luculenter demonstrat *L. IV. Dec. III.* Hinc Simulachri gentilitii & nominis ratio ac causa. Erant Romae Corvini domi militiaeque praestantissimi, a Lucio Valerio, cuius praestitae adversus Gallos mentionem facit virtutis Florus *L. I. 13*, prognati. Quemadmodum vero eius Galeae infedit sacra ales, Corvus, ita idem illud Attilae usu venisse legitur apud Callimachum, rege hoc omine ad magnam suae fortunae fiduciam ac spem rei bene gerendae excitato. Superesse testatur numum Valeriae gentis elegantissimae doctrinae Vir GISEBERTUS CUPERUS, in quo, quicquid conspicitur, Corvum, galea, clypeo & hasta armatum esse putat, antiquae fortitudinis monumentum, in *Apotheosi Homeri* p. 249. & 264. Multa accuratatione faustae domus Valerianae foecunditatem vir tutemque copiose prosecutus est Bonfinius sub finem *Libr. X. Dec 3* Non quidem ignoramus quanta, hoc speciatim tempore, cupiditate nonnulli ardere inceperint ac propemodum insania deducendi Familiae suae originem ab Romanis, ut adeo vix haec in re Bonfinius plane ab adulandi vitio abfuisse videatur, temporis peropportune velificatus ac beneficiis Matthiae magnopere obstrictus. Verum utut non explorete omnibus illa Romanorum vestigia in Ioanne & eius filio nota potuerunt esse, potuisset tamen factum illud recens esse maxime cognitum de Corvo sagittis percusso. Igitur hanc fabulam insulsam ab Alemannis, plerumque Vngaricis infestis, autore inprimis Ciliae Comite, excogitam Bonfinius narrationem illam sua jam aetate non dubitavit appella-

pellare. Certe illud ingenio fortunae est tribuendum, ut cum invidia & livore populi certent perpetuo, qui inusitatis honorum incrementis surgunt, sola aliis avita nobilitate tumentibus citra merita suae saepe virtutis. Aequae enim ferre minime possunt omnes eorum imperium, quos brevi antepari viderunt esse fortunae loco & gradu. Idem usu venisse Ioanni Governatori & Matthiae Regi, Corvinis, non ambigue declarat idem Bonfinius, invidis adversariis modo ignobilitatem generis exprobrantibus, modo obscuritatem. Ceterum satis liquet lexicum compilatorem Hoffmannum ab Anonymo Historiae vehementer deceptum, & alios postea in societatem erroris non exigui traxisse, quando pro Ioanne Matthiam omnes scripserunt. Iam enim Pater Matthiae, Ioannes, ut supra observavimus, Corvini usus est nomine, eiusque matrem vulgo ferunt fuisse, cui surreptus a Corvo annulus fuerit, quem ab Sigismundo Imperatore in praemium illiciti amplexus accepisset. Mirum est, hoc fugisse TENZELIUM cuius alioquin insigne est iudicium & praeclara in rebus ad historiam pertinentibus cognitio, cum Iulii Pflugii Epistolam de Biblioth. Budensi in *Colloquiis mensuris anno 1689. pag. 22.* delinearet.

(b) Extincto in ipso nuptiarum apparatu Ladislao, sive veneno sive alia de causa, mira fortunae vicissitudine ex carcere pervenit ad regni Vngarici culmen Matthias annos XIV. natus. (AENEAS SYLVIVS *Ep. 337. annos 18. RANZANVS 15. putant, sed magis Galeoto Matthiae familiari credere volumus.*) Grata hoc modo memoria Vngari maxima illa patris Ioannis merita prosequerentur, ac dolorem ob misere Regis iussu interfectum Ladislaum filium in fratre & Elisabetha matre leniebant. Legi in primis hac de re meretur Petrus RANZANVS in *Epitom. Rev. Vngar. indic. 28.* Vidit tunc illa aetas egregium sane fortunae ludum in regno Vngariae & Bohemiae. In illo enim ad regium Solum evecto Matthia, non quidem ex ignobili plane, non tamen regia stirpe procreato: in hoc vero Georgio Barone de Cunstad & Podiebrad, Viro forti & magnae auctoritatis Rege constituto; Pontificiam etiam dignitatem capeffente homine pene ignobili & inope Aenea Sylvio, Piccolomineo Senensi.

(c) Se-

(c) Solito potentiores hoc seculo evaserant Turcae, & acri
saepius in Graecos Vngarosque impetu facto, multis regionibus non
vanum servitutis faedae metum incutiebant. Iam ruentis Graeciae
fatum sequebatur Vngaria, praelio infeliciter ad Varnam commisso,
quod Rex Vladislaus magna temeritate contra foederis initi religio-
nem erat ingressus, spreto quoque Hunniadis meliori consilio ac post-
habita anni difficultate, suaque virium & copiarum imbecillitate. Hun-
niades postea melius fortasse afflictis rebus, consulisset, nisi nimis fe-
stinatione conatus ulciscendi praecipitasset, vindictae cupidus magis
quam in restituendis damnis cautus. Alia etiam sunt apud ROMAM,
DYGLOSSVM & CVSPINIANVM, quae obici possunt Ioanni pariter &
eius Filio Matthiae, sed diluit pro virili parte ea Bonfinius. Cete-
rum non plane negandum est, Matthiam cunctando saepe occasionem
neglexisse, crudelitatem & impetus Turcarum avertendi, praesertim
cum vindictae cupiditate ductus, bellandi vires magis in Austrios, Bo-
hemosque converteret, quam contra Turcas. Quo factum, ut Graeci
durae ac miserae servitutis iugum, spe omni illud depellendi iam
deiecti metuque crudelitatis perterriti, tandem subirent, ac Turcae
imperii Orientalis sedem Constantinopolin cum magno Christiani coe-
tus damno, occuparent. Quam feliciter coeteroqui ductu & auspiciis
Matthiae Vngaria defensa sit, quantoque labore, potentia & con-
silio suis fuerit adiumento, exponunt rerum Vngar. Scriptores antea al-
legati. De his omnibus magna cum accuratatione iudicavit, non teme-
re sententias vulgares secutus, C. S. SCHVRTZFLEISCHIVS in *dissertatio-
ne de superioribus Vngariae conversionibus*. Extat T. ALEXANDRI
CORTESII *libellus* heroicis versibus satis elegantibus conscriptus, & ab
ipso Autore Regi dedicatus *de virtutibus bellicis Matthiae Corvini
Vincentii Obsopaei opera Hagenoae 1531. in lucem editus*. Auctor,
quem Romae vixisse colligimus, in praefatione meminit, in altero iam
libello se pacis quoque artes, quibus excelluit Rex, esse profecutum,
sed iam se mittere priorem. Ille posterior an lucem viderit, dubito,
perinde uti descriptio laudum bellicarum Corvini, quam promissit
Naldus Naldius, adhuc desideratur. Duo itaque hi vates inter se
decenterant illo tempore in decantandis laudibus Corvinianis, alter in
bellicis, alter in iis, quae pertinent ad otia pacis.

§. II.

Non est nobis animus recensere monumenta fortitudinis bellicae & ingenii militaris, quod eluxit maxime, quotiescunque cum hoste congregaretur aut in castris Corvino esset vivendum. Quemadmodum erat corpore valido, ira ingenti animi capacitate, quae nisi obnoxiam quasi fortunam habuisset, ansa multorum potuisset esse periculorum. (d) Ad nostrum institutum iam tantum pertinent illa merita, quibus sibi universum literarium orbem incomparabili & inusitato plane in gente sua exemplo devinxit.

B

§. III.

(d) Graviter admodum loco supra allegato SCHVRTZFLEISCHIVS: *Erat Matthias tunc in magna passim invidia, praesertim apud Germanos & Italos, quod tam iniquo & difficili tempore, causam rei Christianae desereret, neque tam bellator prudens, quam praedator ferox, & paterno quidem sed non imitando exemplo, gravis infestusque Austriae esset.* In magnum adductus fuerat apud Bohemos Georgius Podiebradius discrimen, maxime ab iis, qui distracti religionis dissidio & contentionibus Hussitis nimis Regem favere putabant. Pontifice etiam in Georgium fulmen suam vibrante, evituit maiestas apud multos in Bohemia, quorum consiliis sese immiscuit Matthias, parum aequus in socium foederis Georgium, eius malo suis commodis consulturus. Vno itaque ac repentino impetu in Moraviam, Bohemiam Lusatiamque patrocini prius, postea dominii titulo sese effundebat, deditisque urbibus finitinis longe lateque cum exercitu vagabatur, Civitates ad resistendum impares ac praesidio destitutae partim metu exterritae, partim igne ferroque vastatae sese ipsius imperio subiiciebant. Iurisiurandi formula, qua obsequii fidem Matthiae promiserunt Lusatii, legi potest in SAM. GROSSERI, Viri Cl. & de patria mea insigniter meriti, memorandis Lusatiae part. I. Multum sane debent Matthiae Lusatiae Civitates, quando ipsas immunitatibus ac privilegiis ornavit liberaliter, ac iuris, quod vulgo Magdeburgicum vocant, usu concessio, ad
iustitiam

iustitiam exercendam excitavit Qua de re posteritatem admonere debet monumentum, quod in arce Budissina apparet, a Praefecto Lusatae, Georgio Steinio, in memoriam magnificentiae, victoriae & gloriae Corvinae in lapide adornatum. Icon eius in tabula videri potest in memorandis Lusatae, quae laudavimus supra.

§. III.

Emolliri civium mores, a cultiori humanitate quodammodo abhorrentes, (e) non facilius arbitrabatur, quam bonarum artium studiis, quibus veluti blando remedio ingeniorum asperitatem ac fervidiores animi impetus temperare est conatus. (f) Ac ne quid deesset ad splendorem & ad vitam sapientius multo & elegantius agendam, eximios & in quacunque arte praestantes homines in Vngariam accivit. Regium itaque plane erat, quod, constitutis liberaliter vel invidendis praemiis; gloriae & eruditionis domicilium, ac tanquam Museum aliquod Alexandrinum, aulam suam fecit (g)

(e) Disserte de his omnibus BONFINIUS L. VII. Dec. 4. *Vngaricos vulgo Rex solebat damnare mores, rusticitatem scythicam & incultam vitam publice taxare, inhumanos passim ritus abominari, urbanitatem sensim introducere, proceres cum nobilitate ad politicum cultum hortari, iubere domos pro facultate magnificas erigere, vivere longe civilius, ac sese mitius cum peregrinitate gerere, quam ante praeter omnem opinionem abominabantur. Ad haec igitur omnia exemplo suo inprimis omnes invitavit.*

(f) Mortua Georgii Podiebradii Regis Bohemiae filia, alteram duxit coniugem Matthias, Beatricem Neapolitanam, neptem Alphonsi Arragoniae Regis, cuius sapientiae studium & amor per omnem orbem tunc temporis fuit celebratus. Quaecum in Vngariam ex Italia veniret, ita immutavit regis animum, ut duriores vivendi mores ipse non tantum corrigeret, sed et deliciis & ornamentis aliis vitae, voluntati uxoris obsecutus, indulgeret. Ipsa Regina tanta doctrinae & ingenii floruit laude, ut quoties oportu[m] videretur, ex Virgilio, Ovidio aut alio quodam scriptore sententias proferret apte & sermonibus accommodaret.

Ita GALEOTVS MARTIVS cap. 25. in *libello de dictis & factis Matthiae*, qui habetur in *Tomo rerum Vngaric.* qui varios scriptores complectitur & Francofurti apud Wechelos anno 1600. editus est *Regina Beatrix & manuum decoro motu a natura Alphonsi incessum imitatur. Et quod maximum est, doctissima, doctos colit & veneratur. Nunquam enim cessat, quin aut legat, aut audiat, ad avi sui similitudinem se conformans.* Quam insignem sapientiae & doctrinae laudem eidem quoque tribuit Naldus in praefatione, quam libello suo ad Regem praefixit, ubi illam cum Cornelia Grachorum matre, femina sapientissima & omnibus virtutibus cumulatissima, ac denique cum Sybillis comparat. Ipso autem libro hoc modo idem NALDVS pergit:

-- -- -- Sic accersita Beatrix

Vxor habenda tibi virtute insignis & arte
Ut possint homines spectare quid afferat usus
Cuique bonus, per vos quid possit & aurea virtus
Ferre boni reliquis per vos bene cognita primos.

(g) Non parum offendit Vngaros summa illa ac paene in prodigialitatem degenerans liberalitas, qua complexus est in quacunque arte eximios & praestantes viros. Neque hac de re raro conquesti sunt, ideo incusantes regem, quod pecunias ludibrio haberet, vestigalia ad res meliores instituta in varias futilesque res erogaret, ab avita Regum & maiorum parsimonia & frugalitate descisceret & ad latinas delicias effeminatosque mores se conferret. BONFIN. *L VII. dec. 4.* Quae dura & molesta initia immutandae consuetudinis, quae per tot secula in alteram quasi abierat naturam, non miramur, si praeferoces animos gentis Vngaricae recordamur. Neque multo aliter factum apud alias nationes, cum ad meliorem cultum a feritate sua erant revocandae, de quibus iam exempla annotare superfedemus.

§. III.

Dispertitis diei officiis, quorum alia bellicis negotiis, alia publicae rei, Musis alia tribuebat, non ad res inanes animum convertibat, sed optimorum Principum more, ad investigandas Sapientiae doctrinas. (h) Ipse enim oblata sibi a doctis scripta legit explore, frequenter

etiam iis, quos forte scientia commendabat singularis, ad colloquium adhibitis, prudente & arguto sermone ostendit, (i) quantus esset fautor ingeniorum & vindex.

(h) Novem illos ductores Rex habuisse sibi visus est ad eruditionem, quos *Marsilius Ficinus*, placitorum Platonis admirator maximus enumeravit. Tres in terra; optimos Parentes, fideles & doctos Praeceptores, Medicos doctos. Tres in animo: constantem in studia propensionem, ingenii acumen, memoriae vigorem. In coelo: Mercurium, solem & Venerem. Tantum enim profecerat in artium studiis, quantum ad summae fortunae culmen & regendi sapientiam pertinebat. Facta hac prudenti imbuendi animum moderatione omnino valere sapientissimi Alphonfi, Arragoniae Regis dictum potest, Bovis vocem non hominis esse pronuntiantis, qui Principes & nobiles a commercio literarum exclusos rudesque plane optare velit, vid. *Praef. M. NEANDRI ad Cosinogr.* ut &. Consultiss. REINHARDI *Animadvers. Histor. Pol. ad Lipsii Politicorum Lib. I.* 10 Non puduit sane maximum Regem, haurire doctrinas a pertenui homine, Galeoto Martio, Doctore Bononien. qui a Paulo Iovio Matthiae Praeceptor, & Epistolarum Magister nominatur, in *elogiis doctorum virorum*. Per familiarem hunc inprimis Matthiae fuisse cognoscimus ex praefatione Sigismundi Tordae, quam editioni libelli eiusdem *de dictis & factis sapienter & egregie Corvini* praeposuit. Ibidem enim refert venisse Galeotum ex Italia in thermas Eadias, tum causa videndi Regem, tum proposito dotis ad filiarum elocationem impetrandae. Tanta autem Regis munificentia ornatum esse, ut filius regis Ioannes pariter atque alii ipsius institutioni traderentur, curaque Bibliothecae Budensis administrandae illi non opianti committeretur. Inprimis curavit Rex, ut mores ingeniumque fingeret egregie, quem ita dignum in regno successorem, spem licet fatis frustrantibus, praeparari arbitrabatur. Eo consilio NALDVS commemorat Taddeum Vgolettum Ioannis filii vitae moderandae praefectum, eidemque a studiis & a bibliotheca postea fuisse. Audiamus ipsum ita canentem:

-- -- Quos reliqui cives imitentur ad unguem.
 Talibus institui natum iubet artibus ipsum
 Rex quibus instituit sese, quibus optimus auctor
 Factus adest dignus terrae cui pareat orbis.
 Dignus & imperii cui iam tribuantur habenae
 Consilium cuius similis fortuna secuta
 Et fuit: & curae genitoris adhaesit amica
 Nam dum forte cupit puerum iuvenilibus annis
 Edocum fieri. Curam dum versat & omnem
 Prorsus in id studium, studio dum totus in illo est
 Rex bonus: ut melior natus foret inde parenti
 Illuc ecce venit latia de gente profectus
 Taddeus coelo tanquam demissus ab alto
 Patria bebrico genuit quem Parma sub orbe
 Cui genus egregium, domus est ugoletta creatrix
 Et qui non hominum nutritus lacte, sed usque
 A puero grator musarum cura fuisset.

Ex Galeoto discimus, iucunda gravitate Matthiam fuisse venerabilem, ac
 perurbanis salibus in colloquio cum familiaribus identidem regnandi
 curas miscuisse. Ei rei maxime indicio est, cum Gatti cuiusdam, mirifice do-
 ctrinam in Theologia suam ostentantis vanitatem comperceret, quaestio-
 ne proposita, cur Christus Petrum & Ioannem, dilectos aequae discipulos
 non pari loco habuisset, & ipsorum merita aequa lance pensitasset, ac
 Petrum quidem desertorem magistri maxima Pontificatus dignitate, uti
 ipsi videbatur, ornasset, fidum autem discipulum ac nullo mortis metu
 nulloque periculo divulgum, inhonoratum dimisisset. Ad haec cum nihil
 laude dignum responderet sed reprehensa quadam modo Regis curiositate
 suam iterum iactaret arroganter doctrinam Gattus, Rex tandem blandis
 aculeis ex allato Hieronymi contra Io. vianum opere hominis indecoram
 doctrinae opinionem sic vindicavit ut paenas intemperantiae iustas da-
 ret. *Cap. XXX.* Quod si epitaphium non ab alio, sed ab ipso Matthia
 in sui memoriam quemadmodum existimat MANLIVS in Misto Lusariae, est
 compositum, non sterili sane ipsum avena deprehendimus esse modu-
 latum: Est autem eiusmodi:

MATTHIAS IACEO REX HAC SVB MOLE SEPVLTVS
 TESTATVR VIRES AVSTRIA VICTA MEAS.
 TERROR ERAM MVNDO. METVIT ME CAESAR VTER-
 QVE.

MORS TANTVM POTVIT SACRA NOCERE MIHI.

(i) Non alius mihi videtur Corvinus ab omnibus habitus, quam communis ingeniorum & peropportunos vindex, penes quem docti foetus suos, eius aequitatem venerati, exponere confueverunt. Tria Regi dedicavit, cum in Rhetiam veniret, ANT. BONFINIVS librorum volumina, *Hermogenem, Herodianum*, Latine redditum, atque brevem de *Corvinae domus origine* libellum. Reginae duos libros, alterum de *virginitate & pudicitia coniugali*; de *Historia Asculana* alterum. Vnum Ioanni Corvino *Epigrammation* cum praefatione, ubi de instituendo novo principe agebatur. Haec qua clementia acceperit Rex, qua assiduitate legerit & quo hominem liberali beneficio ornaverit, non ipse voluit nos ignorare in Dec. IIII. Lib. VII. Eodem modo Regi *Philosofratum* ex Graeco in latinum sermonem translatum obtulit Bonfinius, vid. LAMBECII *Bibl. Vindob.* & CL. FABRICII *Bibl. Gr. L. IV. 24.* Invenit haec tanta Corvini humanitas, P. Ranzanum, Legatum, Galeotum Martium aliosque & illum etiam Naldum Naldium, de cuius MSTO codice membranaceo, quem Bibliotheca nostra publica Thorunensis custodit, non ingratum erit nonnulla audire. Forma codicis maior est & folii, involucrum holofericum purpurei coloris, floribus & auro intertextum: fibulae, quibus clauditur liber, ex argento eaeque quatuor sunt, a superiori parte marginis una, una ab inferiori & a latere duae. Aequata itaque cum ceteris codicibus magnificentia, quam Lambecius praedicat, non dubitamus, quin supellex iucunda Corvini fuerit, sed memorabili illa factorum vicissitudine huc perinde delata ac alii codices Vindobonae, Gvelferbyti aut Berolini Svetonius, Antonii Sinibaldi Florentini opera Neapoli scriptus 1470. aliique complures in privatis Bibliothecis reperiuntur. Titulus est: NALDI NALDII *Florentini Epistola de laudibus Augustae Bibliothecae atque libri quatuor versibus scripti eodem argumento ad serenissimum Matthiam Corvinum Pannoniae Regem.* Primo libro virtutes, sapientiam regnandi ac decus familiae explicat Corvinae, tam gloriosae literarum altricis: altero praecipuos scriptores

scriptores Graecos, tertio Latinos, quarto denique, qui Christi doctrinam scriptis propagarunt, recenset, annotato cuiuslibet scriptoris ingenii caractere, libris & argumentis. Initia librorum venustis admodum picturis exornata sunt, quarum ductus tanta elegantia elaborati, ut si non artem, saltem solertiam artificum hodiernorum superare videantur. Neque etiam desunt quaedam notae ridiculae, qualis inter alias est dolium, quod supra apparet, signum fortasse egregii illius vini proventus, quod Ungaria abundat. Fuit enim olim hic mos perquam familiaris admodum pictoribus & artificibus aliis, ut in opere a se feliciter confecto ludicrae alicuius rei vestigia simul relinquerent, unde forte iniectus inspicientibus attente artificium operis stupor quodammodo abstergeretur. Fuerunt aliquando eiusmodi nonnulla, quae vel ipsam religionem temerare possunt: uti testis IO. WOLFFIO in *Memorabilibus* Tom. II. p. 909. fabula ridicula visitur in aede Argentoratensi Cath. Norimbergae ad D. Sebaldi circa ingressum, annotante WAGENSEILIO in *Chronico* Norimb. Wittenbergae ad templi parochialis latus meridianum abiecta repraesentatio superstitiosi illius Schemhamphoras Iudaeorum. Sed revertamur ad propositum. Integrum tandem obtinendi Sallustium ex Budensis bibliothecae spoliis Vindobonam deportatis non spes vana tenuerat JACOBVM TOLLIVM, V. CL, uti ipse saepius testatur *Epist. Itiner. III.* Sed Naldiana descriptio Sallustii vix eiusmodi spei alere videtur fortunam. Gravi autem & praedulci sermone conqueritur Naldus de VI. Libris, quos Cicero de Republica ad Atticum conscripserat, fati iniuria nobis ereptis. Verum si credere licet Laurentio Mollero, Archiatro & olim Consiliario Curlandiae Principis, sola Polonia aut Lituania tanti thesauri desiderium diluere posset ac Gruteriana fragmenta quodammodo supplere, propterea quod apud equitem quondam Lituaniae Woynuski se codicem reperiisse gloriatur in *Chronico suo Polonico-Moscovitico-Livonico*. Huius autem inspectionem debeo gratus ac simul illam de Ciceronis libris non expectatam narrationem MATVRINO VEYSSIERO LA CROZE qui a bibliotheca seren. Regi Prussiae est, Viro tam humanitate, quam literarum reconditarum elegantia multarumque linguarum, maxime quae orientis sunt, peritia illustri. Illum autem codicem Naldianum non unquam putamus lucem publicam aspexisse. Quod si etiam forte aliter praeter opinionem sese res haberet, veniam oramus,

oramus, det unus quisque non laturo aegre, imo gratias habituro luculentius si amice aliud ostendat. Hoc enim culpae genere nec summos aliquando viros caruisse vel unus ille Heluo Librorum P. Lambecius suo exemplo tantum comprobare potest. Conf. Wagenfeilius in Appendice Norimb. Chronic. C. 2, ubi de Chronicis, quae nondum exscripta fuisse est arbitratus, Enechelii, germanicis rythmis conscriptis agit. Ceterum quis ille fuerit Naldus Naldius reperire nondum potui, Familiam tamen non adeo ignobilem, sed aliis apud Florentinos eruditione claris viris celebrem fuisse ex *Apibus Urbani* LEONIS ALLATII colligimus, qui de quodam Naldio ibidem facit mentionem.

§. V.

Quod alibi vix secundis fieri solet temporibus, Matthias difficilimo faciebat, & undiquaque belli molestiis implicitus magnas opes gloriosa admodum & inusitata liberalitate ad comparandos variae eruditionis thesauros impendit (k) Quippe in compluribus Italiae locis, ubi laetiore proventu effloruerant scientiarum studia, idoneos aluit homines munifico impendio, qui describendis doctae antiquitatis voluminibus operam collocarent. Hac vero ratione eo citius ardori mentis satisfaciendum putavit, praeclaro typorum invento & artificio, quod nondum sub id tempus ad perfectionem pervenerat, eius propositum & desiderium non explente.

(k) Conferatur in primis hic 10. ALEXANDER BRASSICANVS *Ictus in Epistola, quae Salviano Norimbergae anno 1623, edito praefixa est*, ubi de splendido apparatu librorum, & Matthiae Regis munificentia eleganter & copiose, tum & de fati huius Bibliothecae perquam tristibus neque minus etiam de supellectile alia commemorat, quae in suas pervenit fortunato auspicio manus Quatuor insignes librarios Florentiae magnis impendiis aluisse Corvinum idem notat, quorum is unus & unicuique labor fuit, ut omnes melioris notae auctores graecos ea latinos

latinos, quos commodum ex Graecia habere non poterat, exseriberent. Ex Brassicano haec repetit THEOPHILVS SP ZELIVS in *Dissert. de Bibliothecis* & IULIVS PLYGIUS in *Epistola de Bibl. Bud.* Sine dubio & aliis in locis fuerunt, qui illud Regis desiderium explere sunt conati, quandoquidem antea de Svetonio Berolini conservato ostendimus, Neapoli hunc esse descriptum & confectum. Quam salutare autem hi sumptus sint & ad amplificandum Numinis gloriam commodumque Reipublicae pertinentes eleganter docuit MORHOFF. *Polyhist. L. I. 3.* evolvatur etiam hic SALDENI *Liber de usu & abusu librorum*, ubi speciatim capite nono nonnulla Principum ac Regum singularem & plane utilem in libros affectum describit. Ne n autem potest non miseri esse fati in Republica praeludium, ubi clauduntur pietatis & doctrinarum officinae, stipendia earum antistitibus consecrata, in militaria convertuntur aera, sumptusq; in tutelam ingeniorum faciendi reciduntur ac Musis deniq; ipsis silentium imponitur deplorandum.

§. VI.

Inprimis in admirationem excelsi animi & sapientissimi Principis omnes convertit, quando bibliothecam Budae in arce sua adornaret, stupentibus etiam hodiernorum temporum hominibus ad tantae munificentiae exemplum. Congruebat huic thesauro sacrarium & locus, ornatus voluminum atque omne genus antiqui & recentioris operis, statuarum & ornamentorum copia ad augustum decus amplificandum.

(1) Veterum quodammodo morem imitatus est Corvinus, illi namque quod literas sacram rem esse putarent, & ut iisdem earumque cultoribus venerationem conciliarent maiorem, in templis immortalium Deorum bibliothecas collocarunt. Vid. BRASSICANVS *l. alleg.* NAVDAEVS in *Diss. de Bibl. instruenda* GUIDO PANCIROLL. *L. de rebus perditis* ut & HENR. SALMVTHVS in *Commentariis ad Pancirollum*. Ita Corvinus arcem Budensem magnifico sumptu tanto Rege dignam sedem reddere & exornare coepit. A Danubii parte aediculum extractum, hydraulicis organis, item sacro fonte marmoreo & argenteo decoravit, collegium adiecit honestissimum sacerdotum: supra bibliothecam statuit, mira utriusque linguae foecunditate completam: cultus librorum luxuriosissimus san-

erat. Longe lateque perfequitur magnificentiam illam BONFINIVS,
L. VII. dec. 4. ac, quibus statuis, ambulacris labyrinthis, laquearibus, tes-
salatis vermiculatisque pavimentis, scalis ex porphyrio marmoreo confe-
ctis aeneisque postibus arx tota pariter & bibliotheca exornata fuerunt,
enarrat. Vnicum necesse putamus, quod hic annotemus, nempe E-
pigramma bibliothecae ianuae, qua euntes intromittuntur, auctore Bon-
finio, incisum:

ATRIA CVM STATVIS, DVCTIS EX AERE, FORESQUE
CORVINI REFERVNT PRINCIPIS INGENIVM
MATTHIAM PARTOS TOT POST EX HOSTE TRIVMPHOS
VIRTVS, AES MARMOR, SCRIPTA PERIRE VETANT.

Sed promissi memores vatem nostrum malumus minime stridenti stipu-
la hunc elegantiarum cumulum decantantem introducere & audire :

Quadratis mediis secus in penetralibus ergo
Existens Camerae testudine substinet altas
Incurva: paries quam cinxerat undique fortis
Decocti lateris durique a robore saxi
Cui gemmae lucem fundunt a fronte fenestrae
Compositae vitreisque coloribus innoxa certae
Cunctis qui veniunt illuc spectacula rerum
Inter utramque manens ima sub parte refedit
Lectulus auratis stratis: ubi regius heros
Saepe solet placidam membris captare quietem
Ostia bina manent illic: quorum altera mittunt
Intro quosque viros: mittunt quorum altera Reges
Inde foras: quotiens secreta in sede locatus
Solus adesse cupit, sacris hymnisque canendis
Atque triplex muri facies, quae restat ibidem
Integra neve aliis ullis obnoxia rebus
Illa triplex triplici tabulatam ex ordine sumit
Arte laboratum fulvi splendentibus auri
Bractea quod pinxit foliis tenuisque refulsit
Auratis haec facta quidem pretiosa metallis
Non ego narrarim quanta exornatus ab arte
Ille locus fuerit prisca fuit alchimedontis
Ille operi similis, vel mentoris artibus idem

Par fuit egregiis nec plus valuisse feratur
 Daedalus ingenio: quam qui se exercet in illis
 Celandis lignis incidendisque figuris
 Iure quidem quoniam tabulati quilibet ordo
 Ternus inest libros asservaturas honestos
 Scriptorum: quos & doctrina insignis & ingens
 Gloria tollit humo, superasque attollit in oras.
 Quid referam textas auri sub tegmine vestes?
 Purpureoque simul pariter variata colore?
 Quid memorem scutulata modis splendentia miris
 Ex quibus imperio regis cortina per artem
 Facta novam circum divina volumina textit
 Omnia: ne pulvis libros aurataque terga
 Deturpet, maculetque gravis fulgentia late
 Non minus aurigero quam sol ubi surgit ab ortu
 Et mare collustrat radiis terrasque iacentes,
 Inde capax locus hic foret ut magis andique cingunt
 Scrinia thirenni confecta ex arte magistri
 Tam bene tam facillique nota manibusque peritisque
 Ut quaecunq; manent illic perfecta putentur
 Partibus ex cunctis, ut Regis facta supellex
 Debuit esse quidem terrae cui debitas orbis. &c.

§. VII. Tantum est, quod vix satis deplorare posteri
 possunt, tot eruditae antiquitatis & doctrinarum monu-
 menta in rapaces Turcarum tam cito Numine irato inci-
 disse manus, tamque immani Harpyarum furore omnia
 irreparabili eruditorum damno dissipata esse. (m) Quod i-
 taque admirandum praestantissimis artibus praesidium fu-
 it, iam proh dolor! illustris tantum ruinae documentum
 praebet.

n) Insecuta brevi post obitum Matthiae est haec ruina sub Ludovi-
 co II. qui infeliciter apud Mohazium praelio commissio omnem Ungari-
 am rapis exposuit Turcarum & immanitati. Buda quoque, munitis-
 simo propugnaculo misere Solymani auspiciis expugnato direptioni tan-
 dem patuit bibliotheca hominum imperitorum ac sola barbarie notorum.

Utinam

Vtinam summi Viri Lambecii iter Budam versus iussu invictissimi Leopoldi A. 1665. susceptum uberiori fructu inter barbaros constitisset, animi certe nostri non fama tantum huius thesauri sed ipso iucundo usu saturarentur, Vid praeter Pflugium vitâ Leopoldi p. 65--63. Ex insigni autem illo naufragio, quas veluti tabulas & disiecta fragmenta collegerunt eruditi tum apud LAMBECIUM, tum IULIUM PFLUGIUM videmus. Vbi etiam catalogus eorum habetur voluminum, quae Vindobonam 1686 sunt deportata, neque minus etiam, quae Gverpherbyti & alibi sparsim reperiuntur. Plura de his omnibus legi possunt in *Commentariis LAMBECH, BRASSICANI praefatione*, quam supra allegavimus, *JACOBI TOLLII Epistola III. Itinerar. & annotat.* Cl. HENNINII. Indignatur etiam idem Jac. Tollius in Epistolis, quas Florentia ad Fellerum & Carpozivium scripserat, tanta sua spe se esse deceptum & pro thesauro carbones invenisse. Vid *Fasciculus II. librorum rariorum collectionis*, ed. Hal. 1709. Tam autem sufficere nobis debet, merita Corvini, quibus rem literariam sibi obligavit, Regis longe maximi aliquantisper ex MSto Naldii, uti erat promissum, delineasse. Quo facto putamus fieri ne, & ipsius Naldii, Poetae haud quanquam inimicis Gratiis nati, industria silentio involvatur, & spirans magnificentiae Corvinae memoria in eruditorum coetu nunquam intermoriatur.

A D D E N D A in gratiam disputantium.

I. *Non sufficit fides cordis, sed requiritur etiam in Christiano fides oris s. confessionis.*

II. *Libertas Christianorum non excludit credendi formas, & simplicitas fidei non scrutinium veritatis.*

III. *2. Sam II. 14. certamen lusoriumne an decretorium intelligatur, quaeritur, sed prius fuisse ex verbo וישתקו evinci posse videtur*

III. *Non tentoria, forte Samogedum in morem, uti Io. Clericus V. C. putat, fuisse, quibus Deus Gen. III. 21. nuditatem tegere voluit protoplastorum, sed vestes, verba textus ostendere videntur: neque tamen diversi generis ad distinguendum sexum fuisse existimamus.*

V. *Interdictum de non immutandis vestibus Deut. XXII. 4. non pertinuit apud Iudaeos ad tollendos scenicos lusia.*

VI. *Cum ferrum Neosolii in Vngaria mutatur in Cuprum, non adeo commode essentialis transmutatio dici potest; quia metalla non specie sed gradu differunt.*

